

Augustinus, de Spirit. et Litter., cap. 27, dicens talia opera esse laude digna, seu merito laudanda. Imo idem Prosper contra Collator., cap. 26, dixit: *Illam corporis et animi bona, quæ manent in homine post prævaricationem, præsentem vitam honestare, non tamen æternam conferre*: ergo sub bonis temporalibus hujus vitæ comprehendit etiam actus moraliter bonos. Et simili modo intelligendum est quod in cap. 22 dicit, actus justitiæ et prudentiæ, qui ad gubernandam rempublicam etiam in hominibus alienis a gratia Christiana inveniuntur, ex naturæ a Deo conditæ reliquiis superesse in humano genere ad temporalis vitæ utilitatem. Ad illam enim multum sine dubio conferunt morales actus acquisitarum virtutum. Quia vero de hac temporali vita addit Prosper: *Quæ tota est damnationis et pænæ*, id intelligendum est, vel per amplificationem, quia sine gratia fere nihil est in ea boni, etiam moralis, et si quid est, neque a damnatione liberat, nec minuit pœnam, et ideo tota vita hominis lapsi et gratia destituti dicitur esse damnationis et pænæ; vel quia si aliquid boni habere potest quod non sit culpa nec pœna, tam parvum est et leve, ut pro nihilo reputetur. Eo vel maxime quod bonum opus morale, quatenus bonum est, non possit dici pœna hujus status; tamen quatenus fit sine ullo merito gratiæ vel gloriæ, et sine ulla relatione ad supernaturalem finem, aliquid participat de misera conditione præsentis status, nam verisimile est in statu innocentie nunquam fuisse hominem tam imperfecte operaturum. Denique quod cap. 27 ejusdem libri videtur Prosper negare, mansisse in homine post peccatum naturalia semina virtutum, vel cum proportione intelligendum est de virtutibus quibus ordinatur homo ad vitam æternam, vel certe intelligit non manere naturaliter semina virtutum, quæ adolere possint, seu fructificare in vitam æternam, nisi per gratiam Dei subleventur; cujus contrarium Cassianus et Semipelagiani docebant.

14. *Similiter Fulgentius ibid.* — *Item et Bernardus ibid.* — Simili modo intelligendus est Fulgentius; nam omnia quæ dicit de bona voluntate et ejus initio, intelliguntur de bona voluntate sufficiente ad meritum, seu initium justitiæ apud Deum, juxta ea quæ circa priora testimonia diximus; quæ vero dicit de impotentia vitandi peccatum per liberum arbitrium sub statu peccati, intelligitur non quoad singulos actus, sed quoad ipsum statum, et hoc modo dicit: *Quamdiu homo est peccati servus,*

*non nisi ad serviendum peccato reperitur idoneus*, quia nec potest ab illo statu sua se virtute eximere, nec potest non servire peccato; quia licet fortasse unum vel alium actum virtutis faciat, fere in reliquo vitæ cursu servit peccato. Atque in eodem fere sensu dixit Bernard., serm. 1 de Annuntiat., hominem sibi relictum in peccatum semper declinare. Illud enim semper non est rigorose intelligendum *pro semper* (ut sic dicam), id est, in omnibus et singulis actibus; sed, vel dixit semper, quia non contingit hominem sibi relictum vivere sine peccato, vel quia tam frequenter peccat, ut tota vita possit peccaminosa vocari. Et hic sensus constat ex ratione quam adhibet, scilicet, quia universa, quantum in eis est, ad suam originem tendunt, et in eam semper partem sunt procliviora. Hæc enim ratio ostendit frequentius hominem sibi relictum operari juxta defectuosæ originis propensionem, non tamen semper, et in omnibus actibus necessario ita operari. Quod vero in alio loco de libero arbitrio dixit, liberum arbitrium proficere per gratiam salvantem, deficere autem per seipsum, intelligendum est ut sit adæquata partitio de libero arbitrio quoad statum suum, non quoad singulos actus, juxta ultimam responsionem datam, quia semper aut per gratiam proficit, aut jacet sub peccato, quamvis in illo statu sibi relictum non semper in singulis actibus peccet. Vel certe, si illa duo membra ad singulos actus referantur, dicitur deficere, quoties sibi relictum operatur, non semper proprio defectu culpæ, sed defectu ordinis et utilitatis ad suum verum ultimum finem.

15. *Item Anselmus in num. 8 — Mens Petri Diaconi, cap. 49, num. 5, citati.* — Partitio autem Anselmi de operatione ex affectu commodi, vel ex affectu justitiæ, si in illa duo illi termini, *commodum*, et *justitia*, in sua generalitate sumantur, esse poterit adæquata. Videtur autem intelligere veram et perfectam justitiam apud Deum, et sic verum est neminem operari ex affectu justitiæ sine gratia. Nihilominus tamen operatio ex affectu commodi proprii non semper est peccatum, ut ipsemet Anselmus dixit; imo potest esse honesta, si recta ratione reguletur. Et ita operatio ex affectu commodi non solum includit actiones peccaminosas et indifferentes, sed etiam actiones morales honestas, quibus commoditas propria secundum regulam rectæ rationis intenditur, etiamsi non fiant propter Deum perfecte dilectum, quæ est propria affectio justitiæ. Altera præterea partitio Petri Diaconi, dicen-

tis hominem sine gratia posse cogitare et velle humana, non tamen divina, in eodem sensu et cum adæquatione accipienda est. Nam per *divina* sine dubio intelligit omnia quæ ad Deum finem supernaturalem conducunt, nam de his bonis ibi loquitur, quæ in fide Christi fundantur, et quæ per revelationem et infusionem Spiritus Sancti cognoscuntur et amantur. Sub *humanis* autem comprehendit bonos etiam morales actus: nam illi et humanis viribus proportionati sunt, et ex rationibus humanis, quamvis rectis et honestis, fiunt, sicut Concil. Arausic., can. 3, invocationem Dei, sine gratia factam, humanam vocat, et canon. 6, labores, vigiliis et studia, solo libero arbitrio facta, vocat obedientiam humanam.

16. *Item Maecentius ibid.* — Difficilius quidem ad hunc sensum trahuntur verba Joann. Maxentii, cujus auctoritas, licet magni faciendæ non sit, quia, ut creditur, vir non fuit catholicus, sed schismaticus, nihilominus in hæc materia non est contemnenda, quia in illa non erravit, sed secutus est Augustinum, ut in 1 lib. dixi. Ille igitur duo tantum genera operum distinxit. Quædam, quæ ad vitam æternam pertinent, quæ sine dubio sunt aliquo modo supernaturalia, et ideo dicit, *non fieri, nisi per infusionem et operationem intrinsecus Spiritus Sancti*: quæ verba internam et supernaturalem gratiam significant, ut supra ostensum est, et ex Conc. Arausic., can. 5, 6 et 7, imo ex verbis antecedentibus et subsequentibus ejusdem Maxentii satis constat. Ab his autem operibus solum distinguit opera quæ carnalia vel sæcularia appellat, et ad illa sola præstanda dicit valere liberum arbitrium: unde videtur præterisse bona opera moralia, quia hæc non proprie dicuntur carnalia aut sæcularia. Quod si fortasse ita est, non est credendum id fecisse quia nulla omnino esse possint tali opera, sed quia et parva et rara sunt, et quia in ordinem ad finem supernaturalem neque prosunt, neque obsunt, ut diximus. Verisimilius autem est etiam hæc opera *sæcularia vel carnalia* vocasse, non quia ex affectu carnis semper procedant, sed quia ex se solum honestant hanc vitam mortalem, sicut etiam ob hanc rationem inter bona temporalia computantur.

17. *Item Gregorius, ibid.* — *Item Richardus, ibid.* — Denique, cum Gregorius ait Sanctos sibi tribuere mala quæ faciunt, bona autem divinæ gratiæ, absque dubio loquitur de bonis ad vitam æternam conducentibus, hæc enim sunt quæ sancti viri, divina gratia præventi et

adjuti, faciunt, de quibus ipse ibi loquebatur. Hisque opponit mala quæ ab eodem fine aliquo modo avertunt. De bonis autem mere naturalibus et solo arbitrio factis mentionem non facit, non quia in sanctis viris nulla esse possint, sed quia ibi non assumpsit provinciam dividendi exacte opera quæ in hominibus esse possunt, sed solum monere voluit sanctos viros, quomodo circa bona et mala opera, quæ vitam æternam merentur vel impediunt, se gerere, et sentire debeant. At vero Richardus sub illa partitione non tantum videtur comprehendere opera libera, sed etiam mala quæ necessario patimur: nam sub illis ponit concupiscentiam, de qua dicitur: *Quod nolo malum, id ago*; nihilominus tamen, quatenus illa partitio pertinere potest ad opera libera, sub tertio membro operum quæ nec sunt ad reatum, nec ad meritum, non solum indifferentia, quæ fortasse in individuo nulla sunt, sed multo magis bona honesta pure humana comprehendit, ut patet ex testimonio quod in exemplum adducit ex verbis Christi: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris*. Hoc enim potius est ex objecto bonum quam indifferens. Atque ita Richardus potius doctrinam datam confirmat.

## CAPUT XXII.

## RATIONIBUS GENERALIBUS ALIARUM OPINIONUM SATISFIT.

1. *Primum adversariorum argumentum.* — Prima ratio, quam Gregorius Arimin. proposuit, omnibusque contrariis sententiis favere potest, sumitur ex æquiparatione actus boni et mali, quia si actus bonus cum solo generali concursu fieri potest, sequitur non aliter neque amplius operari Deum in actu voluntatis honesto, quam in malo, quia ad utrumque concurrat ut causa universalis; ergo si non plus habet in actu bono, est æqualitas: consequens autem videtur damnari ab Augustino, lib. 1 de Grat. Christi, c. 25, et lib. 2 de Peccat. merit., c. 48, et aliis locis frequenter. Et patet, quia bonum opus verissime tribuitur Deo, non autem malum; ergo aliquid amplius habet Deus circa bonum actum; illud ergo est gratia. Respondetur in aliquo servari similitudinem, non vero in omnibus, et ideo simpliciter negandam esse sequelam: est enim similitudo in hoc, quod sicut Deus non determinat physice voluntatem ad malum sola sua actione, sive activitate ejusdem voluntatis, ita

nec determinat ad bonum, quia utraque est determinatio libera. Item in actibus mere naturalibus servatur in hoc æquiparatio, quia ad utrosque actus physice concurrat Deus solo concursu generali ex necessitate. Nihilominus est diversitas, quod in bonis actibus per illum concursum Deus attingit physice bonum actum, quatenus bonus est, id est, efficiendo ipsam honestatem; in peccato vero, licet efficiat actum, non efficit malitiam ejus, quæ privatio moralis est. Deinde est in morali modo differentia, nam actum bonum efficit Deus intendendo illum, malum autem permittendo. Denique est etiam diversitas in morali causalitate, nam actum bonum vel præcipit, vel consulit, vel approbat, vel etiam ad illum excitat; malum autem minime, sed tantum non impedit, nec negat concursum suum, et ideo simpliciter est auctor actus boni, non mali.

2. *Argumentum secundum.* — Secunda ratio quæ objicitur est, quia, si posset homo aliquid boni moralis sine gratia operari, haberet aliquid unde posset in se, et non in Domino gloriari; consequens est contra illud Pauli 1 ad Cor. 4: *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ubi Paulus reprehendit eos qui suis viribus aliqua bona tribuebant, et ita de illis gloriabantur, ut aliis præferri vellent. Paulus autem eos redarguit, quia nihil habebant quod non accepissent, utique per dona gratiæ, de quibus a principio capitis locutus est; ergo sentit esse contra beneficium gratiæ, gloriari de aliquo bono actu, tanquam non accepto per gratiam. Et confirmatur hæc ratio ex Concilio Arausicano, canone 16, dicente: *Nemo ex eo quod videtur habere, gloriatur, quasi non acceperit, aut ideo se putet accepisse, quia littera extrinsecus, vel ut legeretur apparuit, vel ut audiretur insonuit; quasi tacite exponat istud vocari a Paulo acceptum, quod per gratiam accipitur, et nihil boni esse in homine, de quo ut non sic accepto possit gloriari.* Hinc etiam dixit Augustin. lib. 1 ad Simplic., q. 2, ante medium: *Unde admonemur nec de ipsis operibus misericordiæ quemquam oportere gloriari et extolli, quod eis, quasi suis, Deum promeruerit, quandoquidem, ut haberet ipsam misericordiam, ille præstitit, qui misericordiam præstabit, cui misericors fuerit: et statim subjungit verba Pauli: Quid habes quod non accepisti?* Et eadem applicat ad opus continentiæ, ut nemo de illo gloriatur, quasi non acceperit, et generaliter illud pro omni bono opere urget lib. 2 de Peccator.

merit., cap. 18, et de Dono perseverant, c. 4 et 7, ubi allegat Cyprianum dicentem: *In nullo gloriandum, quia nostrum nihil est, idque ex illo testimonio confirmantem lib. 3 ad Quirin., capite quarto.* Unde est etiam illud Gregor., lib. 22 Moral., cap. 5, alias 10, in fine: *Ego mea opera tanquam mea non profero, quia auctoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.*

3. *Duplex solutio.* — Ad hæc vero omnia respondere possumus, juxta doctrinam datam in capite præcedenti, Paulum loqui de donis supernaturalibus, ut eviderentur ex contextu constaret, et similiter Patres loqui de bonis operibus meritoriis aliquo modo salutis, ut eadem loca exponendo ibidem ostendimus. Gloriari ergo de his bonis tanquam non acceptis per gratiam, superbiæ et arrogantia est, et si per judicium intellectus fiat, supponit ille affectus Pelagianam hæresim. Qui autem existimat moralem actum naturalis ordinis posse fieri sine auxilio gratiæ, non tribuit naturæ aliquid ad quod ipsa non sufficit, neque dat homini occasionem gloriandi se in aliquo bono supernaturali, tanquam in non accepto per veram gratiam, et gratis donatam, quod Paulus et alii Sancti proprie reprehendunt. Dico vero ulterius, etiam de bonis naturalibus non debere nec posse hominem gloriari tanquam de non acceptis, quia a Deo manant, ut auctore naturali, et licet per se non pertineant ad gratiam salvantem, pertinent ad gratiam creantem, conservantem et providentem, ideoque magna esset arrogantia et ingratitude gloriari de bonis naturalibus, ut de pulchritudine, ingenio, scientia, et similibus, tanquam de non acceptis, nam omnia hæc, et similia, tanquam Dei dona recognoscenda sunt, ut recte argumentatur August., 4 contra Jul., capite 3. Quod si hoc verum est in bonis naturalibus, quibus possumus bene aut male uti, multo magis id verum erit de actu morali bono, qui intrinsece includit bonum moralem usum, ut in simili argumentatur August., l. 2 de Peccator. merit., c. 18. Atque ita etiam in his bonis actibus eum proportione dici potest homini: *Quid gloriaris, quasi non acceperis*, si non recognoscat habere illum actum ex Deo influente in illum, ut fortasse Pelagius sensit, vel etiam si non recognoscat peculiare Dei beneficium esse, quod oblata fuerit occasio congrua ad similem actum exercendum; non est autem necesse quod recognoscat illud tanquam beneficium gratiæ, sed naturæ, ut ex Augustino, epist. 130, ponderavimus. Quod si quis recognoscens hæc

beneficia divina simul intelligat illud opus factum esse a suo libero arbitrio, hæc non est vana gloriatio, nisi homo in aliquo excedat, vel tribuendo sibi plus aliquid quam revera habeat, vel exponendo se periculo alicujus elationis, aut, inter tot peccata quæ quotidie committit, propter unum minimum opus se extollendo, vel sibi propter talem actum meritum primæ gratiæ tribuendo. De qua re et et simili objectione iterum dicturi sumus infra tractando de efficaci auxilio.

4. *Argumentum tertium.* — Tertia ratio, quam magni faciunt auctores contrariæ sententiæ, est quia orandus est Deus ut nos adjuvet in singulis actibus moralibus, ut honeste et sine ulla malitia unumquemque faciamus: quis enim hoc audeat negare? At vero ex oratione colligitur clare necessitas gratiæ ad illum effectum, seu actum ad quem postulat; ergo. Minor constat ex Conciliis et Patribus, qui hoc argumento maxime utuntur ad probandam gratiæ necessitatem. Dicitur forte non esse necessarium petere auxilium pro singulis actibus moralibus, sed solum esse utile ut melius, ut securius fiant, et ut Deus non permittat occurrere impedimenta bene operandi, quæ contingentia sunt, et facile occurrere possunt. Sed contra hoc obstat, quia hæc responsio videtur favere Pelagio, qui dicebat gratiæ auxilium non conferre posse bene operari, sed facilius operari, unde consequenter diceret orationem esse utilem ad bene operandum, non tamen necessariam, et per illam peti auxilium, non ut necessarium, sed ut utile, et ad melius et facilius posse. Patres autem impugnant Pelagium dicto argumento, quia nemo ab alio postulat quod per seipsum facere vel habere potest, et inde concludunt nos indigere gratia ad singulos actus bonos, non solum ut facilius illos faciamus, sed absolute ut illos faciamus, imo etiam ut illos facere possimus. Quod argumentum sæpissime repetit Augustinus, maxime vero illud prosequitur ep. 107, et Hieronymus contra Pelagium, et illud etiam urgent Patres Concilii Carthag. in epist. ad Innoc., et appobat Innocentius in rescripto. Ergo eadem ratione idem dicendum est de adjutorio necessario ad singulos actus morales.

5. *Responsio.* — Respondeo imprimis veram et Christianam orationem, de qua Patres loquuntur, esse tantum illam quæ ex fide procedit. Nam sicut ostensum est capite præcedenti, eos loqui de operibus pietatis, ita etiam loquuntur de oratione pia, cujus prima conditio

est ut a fide procedat, sicut ostendi t. 2 de Relig., tract. 1, l. 1, c. 24, et sufficienter ostenditur ex Paulo ad Rom. 10, dicente: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* Unde colligit August., de Prædest. Sanctor., cap. 7, orationes Cornelii, quæ ascenderunt in conspectum Dei, Actor. 10, non esse fusas sine aliqua fide: *Nam quomodo (inquit) invocabat in quem non crediderat?* Concilium etiam Arausican., cap. 3, petitionem non ex fide factam invocationem humanam vocat, non orationem, et definit illam non impetrare gratiam, sed potius gratiam facere ut Deus invocetur a nobis, utique sicut oportet, et per veram orationem, idemque de petitione et pulsatione apud Deum dicit in canon. 6.

6. *Progreditur cepta solutio.* — Ex quo fundamento infero, si loquamur de homine, vel in pura natura spectato, vel nunc fide et omni supernaturali gratia carente, in illo non habere locum argumentum factum, quia in illo vel non potest esse ulla invocatio veri Dei, quia forte illum non agnoscit, vel si eum aliquo modo cognoscat, poterit ad summum humano modo invocare illum, quæ invocatio per se nihil valet ad aliquam gratiam impetrandam a Deo, ut Concilium Arausicanum definit. Unde ad summum valere posset ad obtinendum aliquod beneficium naturale, non ex promissione aliqua Dei, nulla enim est facta tali invocationi, ut dicto libro de Relig. latius dixi, nec esse potest debita ex sola naturali providentia, quam solum Deus exhibet, vel suo modo debet, antequam gratis conferat gratiam. At vero, loquendo de homine fidei, ille quidem jam potest orare Deum, ut in singulis operibus bene se gerat; si autem ad hoc veram gratiam postulet, jam non postulat tantum ut bene moraliter et humano (ut sic dicam) modo bona opera faciat, sed etiam ut modo Christiano, et in ordinem ad vitam æternam fructuose illa faciat, et ideo de illa petitione etiam non procedit ratio facta, nam de illis actibus fatemur esse ad singulos gratiam necessariam. Et sine dubio de hac oratione Sancti loquuntur, et ita est a nobis orandus Deus, si fideliter et sicut oportet oretur: ideoque ex tali oratione colligunt Sancti necessitatem gratiæ ad singulos actus bonos meritorios, et ordinatos ad vitam æternam; inde autem non potest argumentum extendi ad actus mere naturales.

7. *Obiectio.* — *Dissolvitur.* — Dicit aliquis etiam posse fideles petere a Deo bonos actus mere naturales, et hoc satis esse ut ex tali oratione colligamus gratiam esse necessariam ad

singulos hujusmodi actus, propter eandem rationem, quia nemo petit id quod per se facere potest. Antecedens patet, quia possumus et Christiana oratione a Deo petere salutem, scientiam, pluviam, et alia bona temporalia; ergo et virtutes morales acquisitas, et actus earum, in illis præcise sistendo. Respondeo concedendo hanc orationem esse possibilem, et in rigore non esse peccaminosam, quia tacite includit conditionem, vel moderationem, ut talia bona vel prosint, vel saltem non obsint vitæ æternæ, quæ conditio facilius includitur in petitione bonorum actuum moralium naturalium, nam illi de se non possunt obesse vitæ æternæ, esto ad illam positive non conducant. Esset tamen ille modus orationis imperfectus, quia non parva imperfectio est sistere in bono non fructuoso ad vitam æternam. Imo existimo talem orationis modum non esse in usu fidelium credentium per sua opera se consecuturos vitam æternam. Nullus enim est qui cupiat bene operari, qui non simul eadem opera sibi ad salutem proficere maxime desideret: unusquisque autem petit id quod desiderat. Quamvis autem demus petitionem talium bonorum operum posse fieri, ex illa non licet inferre esse necessariam gratiam ad talia opera sic facta; tum quia illa oratio non est necessaria, et est valde imperfecta; tum etiam quia per illam orationem non id petimus ut bonum gratiæ, sed ut bonum naturæ. Sicut quando petimus pluviam, vel sanitatem, non petimus in rigore gratiam, sed naturalia beneficia. Quod si in eogenere petimus aliquid ultra concursum debitum ex generali providentia, non postulamus illud ut simpliciter necessarium ut effectus fieri possit, sed quatenus potest esse necessarium ut effectus fiat, ut in dicto libro de oratione latius explicui, et ad præsentem materiam possunt ibi dicta melius et facilius applicari.

8. *Locupletatur proxima solutio.* — Nam licet gratia vel extraordinarius favor non sit simpliciter necessarius ad singulos actus honestos, considerando rem ipsam secundum se, nihilominus nullus est actus ad quem, ut in individuo recte fiat, non possit esse necessaria gratia, vel specialis favor, secundum divinam præscientiam. Quia licet possit homo cum solo ordinario concursu Dei, hic et nunc efficere bonum actum in quacumque designata occasione, nihilominus contingere potest ut Deus præsciat hominem cum his solis subsidiis non esse bene operaturum, nisi amplius adjuvetur. Cum ergo homo nesciat quando et quomodo

occurrere possit illa necessitas, merito semper petit auxilium etiam tanquam necessarium, ut effectus certo fiat, quia contingere potest ut sit necessarium ad facere, licet non sit ad posse. Eo vel maxime quod, licet homo possit unum vel alium actum facere, tamen, si cum sola illa generalitate relinquatur, fere semper faciet male, et vix aliquando bene, et ideo etiam intra ordinem naturæ postulandum est auxilium Dei, ut necessarium simpliciter ad bonos mores absolute loquendo, et ad singulos actus contingenter, modo explicato.

9. *Argumentum quartum.* — Quarta ratio adjungi solet, quia ex nostra sententia sequitur non debere nos agere gratias Deo, quando bonum aliquid morale ex solo naturali motivo honesto facimus: consequens est falsum; ergo. Sequela patet; nam pro his quæ in potestate nostra sunt, et nostra virtute facimus, non est quod alteri gratias agamus. Et ideo Patres ex obligatione gratias agendi Deo pro fide, vel bonis moribus, necessitatem gratiæ colligunt, ut patet ex Augustino, epist. 107, et libro de Prædest. Sanctor., cap. 19; et Prosp., lib. 1 de Vocatione gent., cap. 23, alias 8. Minor autem et repugnat gratitudini Deo debitæ pro bonis omnibus, quorum ipse est auctor, et Paulo dicenti 1 ad Thessal. 5: *Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite*, et ad Ephes. 5: *Gratias agentes semper pro omnibus*. Et est contra Augustinum, qui lib. 2 Confess., c. 7, non minus gratias Deo agit pro peccatis non commissis, quam pro remissione eorum quæ commisit: *Gratiæ (inquit) tuæ deputo, quod peccata mea tanquam glaciem solvisti; gratiæ tuæ deputo et quæcumque non feci mala, quid enim non facere potui, qui etiam gratuitum facinus amavi. Et omnia mihi dimissa esse fateor, quæ mea sponte feci mala, et quæ, te duce, non feci*. Si ergo pro peccato non commissio gratiarum actio debetur, multo magis pro quocumque actu virtutis naturalis, quia hoc aliquid majus beneficium est, quia dum fit, non solum peccatum vitatur, sed etiam aliquid boni fit.

10. *Solvitur.* — Hoc vero argumentum idem fere est cum præcedenti, et ita eandem habet solutionem. Nam gratiarum actio pars quædam est orationis generaliter sumptæ; si vero sit sermo de oratione prout specialiter significat petitionem, sic oratio respicit beneficium faciendum, gratiarum actio jam factum. Nam, ut recte dixit Augustinus supra, dicta epist. 107: *Qui est orandus ut faciat, illi est gratiarum actio reddenda cum fecerit*; et ita Pau-

lus interdum pro infidelibus orat, ut convertantur, 2 ad Thes. 3; interdum gratias agit pro his qui jam crediderunt, ad Ephes. 1. Sicut ergo diximus quodcumque opus bonum morale, etiam naturale, esse beneficium Dei, ut gubernatoris naturæ providentis occasiones bene operandi, et ad bonum opus cooperantis, saltem generali concursu, ita pro quocumque simili opere gratiarum actio Deo debita est. Et ita simpliciter negatur sequela argumenti, quia non solum pro bonis gratiæ, sed etiam pro bonis naturæ, gratiæ Deo debentur, quamvis pro prioribus bonis multo ampliores et excellentiores debeantur, ut recte declarat August., lib. 5 de Civit., cap. 31, et lib. 1 Confess., cap. ult. Neque huic gratiarum actioni obstat quod opus fiat sine auxilio gratiæ, satis est enim quod non fit sine auxilio et providentia Dei.

11. *Promovetur solutio.* — Quando autem Sancti ex gratiarum actione colligunt auxilium gratiæ, loquuntur de operibus quæ ad providentiam naturalis ordinis non pertinent, ut est fides, et quæ ad illam consequuntur; quod aperte constat ex Augustino et Prospero in locis citatis. Unde etiam loquuntur de gratiarum actione ex eadem fide profecta, quæ altioris ordinis est, ut dixi, quam quæ pro naturalibus bonis debetur, et lumine naturæ cognosci potest. Cum autem Paulus pro omnibus dicit esse gratias agendas, generaliter loquitur tam de bonis naturæ quam de bonis gratiæ, ut per se manifestum est. Et similiter Augustinus, cum gratiæ deputat omne peccatum non commissum, vel generatim loquitur de gratia, prout comprehendit omne liberale beneficium Dei; non enim tunc contra Pelagianos disputabat, ut cum eo rigore de gratia Dei loqueretur; imo verisimile est, cum illa scripsit, nondum Pelagianos fuisse exortos, quantum colligi potest ex lib. 2 Retract., c. 6. Vel certe specialiter loquitur de illis peccatis quæ post vocationem, et ex illa tanquam ex radice et fonte, non commisit, ut indicant illa verba: *Omnia mihi dimissa esse fateor, quæ te duce non commisi*: ponderanda est enim illa particula, *te duce*, quæ proprie significat peculiare gratiæ regimen, quod a vocatione incipit, ut est vulgare apud ipsam Augustinum.

12. *Tria alia argumenta proponuntur tribus sequentibus capitibus resolvenda.* — Præter hæc argumenta, fiunt alia ab incommodis; quia, si morale opus bonum fieri potest sine gratia, etiamsi tentatio urgeat fieri etiam poterit sola libertate, quia tentatio non mutat speciem

actus, nec motivum operandi, sed solum addit aliquam difficultatem, quæ non reddit actum simpliciter impossibilem. Item si vel unus actus bonus fieri potest sine gratia, eadem ratione quilibet actus ordinis naturalis, quantumvis excellens, poterit fieri sine gratia, quia nunquam superat facultatem naturalem voluntatis, licet fortasse difficilius fiat. Denique infertur, qui sua potestate facit unum opus bonum, eadem posse facere omnia, quæ longo tempore occurrunt, sine defectu, quia sicut singula, ita etiam omnia subsunt eidem facultati, et sunt ejusdem ordinis, et non simul, sed sigillatim, et successu temporis occurrunt. Hæc vero argumenta postulant graves quæstiones, quæ in sequentibus tractandæ sunt.

## CAPUT XXIII.

UTRUM AD SINGULAS TENTATIONES LEGI NATURALI REPUGNANTES SUPERANDAS, SINGULARE GRATIÆ AUXILIUM NECESSARIUM SIT?

1. *Capitis materia.* — In superioribus simpliciter locuti sumus de bonis actionibus moralibus, et indefinite diximus posse interdum sine auxilio gratiæ fieri, quod maxime locum habere potest ubi peculiaris difficultas in opere non invenitur, et ideo nunc inquirendum superest quid dicendum sit quando illa occurrit. Non loquimur autem de difficultate quæ est quasi per se in actu qui naturæ ordinem transcendit, et supernaturalia præcepta concernit (nam hic solum de his quæ ad naturæ ordinem pertinent disputamus), sed agimus de difficultate quasi per accidens ex tentatione occurrente proveniente. Est enim tentatio, quoties eo tempore quo bonum faciendum est, occurrit motivum aliquid humanum ab illo bono animo avertens, vel, cum malum vitandum est, instat aliquid incentivum, quod ad illud faciendum inducit, et quia hæc omnia contingenter et accidentarie occurrunt, ideo difficultatem hanc accidentariam voco. Quæ considerari potest, vel in quocumque actu bono determinate in quovis gradu occurrat, vel prout in aliquibus specialiter invenitur cum magno excessu seu gravitate, vel denique prout in multis actibus per longum temporis cursum inveniri potest. Et in universum omnis difficultas boni operis, quæ oritur ex concupiscentia, et corruptione naturæ lapsæ, potest dici per accidens, quia revera est actui extrinseca, et aliquo modo ex tentatione provenit. Aliquando vero crescit ex actus excel-